

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5347

Auteur(s) : Coutances (official)

Bénéficiaire(s) : Robert de Huberville [clerc]

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1282, 16 septembre

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

L'official de Valognes vidime la lettre de Raoul et Guillaume de Mons par laquelle ils donnent leur fief de Varehais à Robert de Huberville.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Fontanel Julie, *Le cartulaire du chapitre cathédral de Coutances*, Saint-Lô, Archives départementales de la Manche (Sources inédites sur l'histoire du département de la Manche ; 1), 2003, n° 90, p. 211.

Texte établi d'après a

Universis hec visuris et auditoris, officialis Constantiensis apud Valonias, salutem in Domino. Noverit universitas vestra nos anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo secundo, die mercurii ante festum sancti Laudi, vidisse, legisse et diligenter inspexisse quasdam litteras sigillis reverendi patris J[ohannis] quondam bone memorie Constantiensis episcopi, domini Guillelmi de Montibus, militis, et Radulphi de Montibus, scutiferi, sigillatas [...] que sequitur continente :

Universis Christi fidelibus ad quos presens scriptum per[venerit], Radulfus de Montibus, scutifer, frater dicti domini [Guillelmi] de Montibus, militis, salutem in Domino. Noveritis quod, cum Robertus [de] Hubervilla, clericus, michi concesserit et in perpetuum excambium assignaverit quoddam manerium situm in parrochia de Morevilla apud Savigneium, situm in terra que dicitur Terra Leporis, quod emerat a Ricardo Picot cum omnibus terris pertinentibus eidem manerio, ratione dicte emptionis, unacum redditibus, pratis, aliisque terris omnibus quas emerat seu adquisierat quascumque in parrochiis de Morevilla, de Esnegrevilla et de Yvetot, excepto manerio suo versus Londam Basle cum pertinentiis ejusdem, ita libere et quiete michi et heredibus meis possidendum sicuti dictus Robertus possidebat et possidere poterat et debebat, ego predictus Radulphus, in perpetuum excambium et recompensationem premissorum, de consensu dicto Roberto et voluntate dicti domini Guillelmi, militis, et Herberti clerici, fratrum meorum, dedi et assignavi dicto Roberto clerico quicquid ego et dictus Herbertus clericus habebamus in feodo quod dicitur feodum Werrehaiz apud Hubervillam et apud Valonias, cum omnibus homagiis, releviis, placitis escaetis, et franchesiis aliis que in dicto feodo seu ratione dicti feodi poterunt evenire, nichil ibidem penitus retinendo, exceptis duobus solidis tur. tantum modo quos dictus dominus Guillelmus frater meus retinuit de antiquis redditibus in feodo Thome Mauchaël, quod tenebatur de dicto Warrehais. Que omnia et singula supradicta ego predictus Radulphus et heredes mei dicto Roberto clerico et heredibus suis garantizare tenemur, deliberare versus dictum Herbertum clericum et deffendere contra omnes ad expensas nostras, vel excambiare valore ad valorem in loco sibi eque commodo et propinquo, ipsosque super hoc conservare indemnes. In cujus rei testimonium perpetuum et munimen, reverendus pater J[ohannes], gratia Dei Constantiensis episcopus, et dictus

dominus Guillelmus de Montibus, miles, frater meus primogenitus, unacum sigillo meo, apposuerunt presentibus sigilla sua. Actum anno gracie M^o ducentesimo sexagesimo quarto, mense augusti.